



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Leodiensi Episcopo, Abbati de Bron. & Praeposito Trajectensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

lechitas in ore gladij superaret. Credebatur etiam quod terrae orientali magis accederet, si quod in tuis & tuorum clericorum procuracionibus fueras impensurus, secundum alicujus religiosi arbitrium transferretur in subsidium bellatorum. Cum igitur in lege veteri, in qua non minus praeceptum Domini obligabat quam votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita, quae Domino mandabantur offerri, quaedam redderentur Domino, ut primogenita Levitarum, quaedam redimerentur, ut aliarum tribuum, quaedam commutarentur in aliud, sicut primogenitum asini, quod ove commutabatur; ex hoc attendentes quod votum etiam commutari possit in opus aliud pietatis, praesertim cum bonae memoriae Alexand. Papa praedecessor noster votum peregrinationis etiam redimi posse vel in aliud commutari responderit requisitus; non curantes quid os iniqua loquentium loquatur, dum tamen non recedamus a tramite veritatis, cum secundum Apostolum gloria nostra sit testimonium conscientiae nostrae, & scandalum non curantes, praesertim quia non in tenebris sed in luce procedimus; de illius auctoritate securi qui cum audisset a discipulis, *Nonne scis quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt?* respondit: *Sinite illos. caci sunt & duces caecorum.* & juxta Apostolum: *Si hominibus placeam, Christi servus non essem.* tibi pro te & sex famulis tuis de communi fratre nostrorum & tam Archiepiscoporum quam Episcoporum & aliorum prudentium consilio, quos per Dei misericordiam multos nobiscum praesentes habuimus, licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, ut omnes expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios usus terrae illius sine diminutione qualibet transferendas. Sic enim & orientali provincia, quae plus tuis quam te in articulo necessitatis instantis indiget, tua subventionem proficies, & Trecent. Ecclesiae tua praesentia & regimine utilius providebis; ac per hoc animae tuae salubrius consuletur. Laborem etiam laboribus recompenses, sollicitius instando vigiliis, devotius vacans orationibus, & jejuniis fortius te

exercens, ac super grege tuo vigilans sollicitudine pastorali. Ad hanc autem indulgentiam tibi de benignitate sedis apostolicae faciendam id etiam specialiter nos induxit, quod iter tuum jam non videbatur ultramarinae provinciae fructuosum, a qua ferè omnes Gallici remearant. Et cum pro salute animae tuae ac libertate Trecent. Ecclesiae per dictum Comitem assequenda praecipue votum peregrinationis emiseras, eo sublato de medio, quia cessaverunt causa, facilius cessare potuit & effectus. Nulli ergo &c. Datum Laterani Idibus Martij.

LEODIENSI EPISCOPO,
Abbati * de Bron. & Praeposito
Trajectensi.

* f. S. TRADON.

Cum irreprehensibilem deceat esse Pontificem, & is, cui animarum cura committitur, tanquam lucerna super candelabrum, doctrina & exemplo omnibus debeat elucere; quoties ad apostolatus nostri notitiam de fratribus coepiscopis nostris aliqua perferuntur quae modestiam non sapiant pastorem, & famam boni nominis labefaciant quomodolibet vel denigrent, dolemus admodum, & turbamur, & ad ea diligentius indaganda, & animadversione debita corrigenda, apostolica sollicitudinis intendimus apponere medicinam. Sanè cum de venerabili fratre nostro Treveren. Archiepiscopo dilectus filius major Treveren. Decanus ad apostolicam accedens praesentiam, multa quae a maturitate noscuntur pontificalis officij aliena felicitis recordationis Celestino Papae praedecessori nostro & aliis fratribus suggestisset, licet per eundem praedecessorem nostrum ipse Archiepiscopus vocatus fuerit & citatus, ut ad Romanam Ecclesiam de objectis accederet responsurus, venire tamen distulit & neglexit, nec sufficientes curavit dirigere responsales; cum etiam ipse Archiepiscopus praedictum Decanum ad Romanam Ecclesiam appellaverit, & ab eo fuerit appellatus, & ab utroque appellationis prosequenda terminus constitutus. Quia vero sapiedictus Decanus in expectando apud nos moram fecisse dignoscitur longiorem, & pro sua & Ecclesiae Treveren. consequenda diutius justitia laborasse; ne videremur clausis oculis praeterire, & sic

Epist. 70.
Ve inquitam
contra Archi-
episcopum Tre-
verentem, super
objectis crimi-
nibus: & si cul-
pabilis erit, sus-
pendant.

Cap. 1. de voto
& voti redempt.

Epist. 71
Ve inquitam
Legatione
decurati
omnes po-
lunt, car-
per dicitur

de nostri possemus executione officij reprehendi, si super his quæ contra prædictum Archiepiscopum opponebantur, non faceremus inquirere sollicitius veritatem, & eum de contemptu, quem apud sedem apostolicam habere dignoscitur, non curaremus animadversione debita castigare, inquisitionem ipsius negocij vestræ duximus experientia committendam; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus convocatis ad præsentiam vestram partibus, & auditis quæ contra prædictum Archiepiscopum præfatus Decanus proponere voluerit & probare, utriusque partis probationes & allegationes vestro sigillo signatas nostro apostolatui transmittatis; præfigentes utrique parti terminum competentem, quo omni dilatione & excusatione postposita, nostro se curent conspectui præsentare. Si verò supramemoratus Archiepiscopus in termino ei à vobis præfixo ad præsentiam nostram personaliter accedere non curaverit, vos eum ex tunc auctoritate nostra denunciatis publicè, sublato appellationis obstaculo, officio beneficioque suspensum, & faciatis latam in eum suspensionis sententiam per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Si autem inter cetera quæ jam dictus Decanus contra Archiepiscopum proposuerit memoratum, legitime probaverit quòd ipsum & E. socium, postquam iter arripuerunt ad sedem apostolicam veniendi, jamdictus Archiepiscopus exoliaverit, vel fecerit spoliari, vos taliter ablata ipsi Decano & socio suo omni postposita faciatis dilatione restitui, & ipsum Archiepiscopum ab officio pontificali suspensum ad nostram præsentiam dirigatis. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita &c. Quòd si omnes, tu frater Episcopo &c.

Z A MOREN. EPISCOPO,
Abbat. Saltus Noval. & Priori
sancti Marci.

CVM, sicut audivimus, inter Legionen. & Lucen. Ecclesias olim super archidiaconatu de Tria Castella in præsentia felicis recordationis Lucij Papæ III. prædecessoris nostri præsentibus nunciis utriusque partis causa diutius agitata fuisset, tandem Legionen. Ecclesia fuit adjudicata possessio, datis executoribus qui eam in possessionem il-

lam corporaliter inducere non differrent. Cùmque in possessionem prædicta Ecclesia fuisset inducã, venerabilis frater noster Lucensis Episcopus partem possessionis illius fructusque perceptos sibi retinere præsumpsit, licet sententiæ fuisset insertum quòd facta restitutione plenaria, de causa proprietatis Legionen. Ecclesia responderet. Nuper verò idem Lucen. Episcopus ad dilectum filium G. sancti Angeli diac. Card. tunc apostolicæ sedis Legatum accedens, ad quosdam ignotos & remotos ab Ecclesia Legionen. iudices literas impetravit: ad quorum citationem cùm Legionen. nunciis accessissent, latam per Ecclesiam sententiam allegarunt, & nolentes, nisi facta restitutione plenaria, respondere, sedem apostolicam appellarunt, ne contra præfatam sententiam posset aliquid attentari. Duo verò ex ipsis iudicibus nihilominus procedentes in causa, possessionem archidiaconatus adjudicare Lucen. Ecclesiæ temerè præsumperunt. Ecclesia verò Lucen. expulsis ministris Legionen. Ecclesiæ, suos ministros & quosdam milites in possessionem induxit, qui recipientes Ecclesias, & pro sua voluntate bona diripientes earum, fructus ex illis injustè percipiunt, Canonicos Legionen. ad possessionem nullatenus accedere permittentes. Quia igitur quod per sedem est apostolicam diffinitum, nullius volumus temeritate quassari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit præfatam Legionen. Ecclesiam auctoritate apostolica fuisse in possessionem inducã, vos amotis detentoribus ejus ipsam Ecclesiam Legionen. non obstante temeritate iudicum prædictorum ab ipso Card. delegatorum, per censuram ecclesiasticam in possessionem dicti archidiaconatus plenariam, sicut in authentico instrumento dicti prædecessoris nostri insertum esse vobis constiterit, auctoritate apostolica sublato appellationis obstaculo corporaliter reducetes, causam postmodum audiatis, & appellatione remota sine debito terminetis. Provideatis quoque sollicitè, ne à prædicto prædecessore nostro sententiam quilibet temerè violare præsumat. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita &c. Quòd si omnes &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum xv. Kal. Maij.

Epist. 71.
Vt restituta
Legionen. Ec-
clesiæ archidia-
conatus posses-
sione, causam
iure finiant.

*latam